



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. XXI. De Magia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

lebant, alios ad pellendam febrem, vel siccitatem, vel grandinem, alios ad habendam abundantiam, nempe Cererem, Pomonam, Floram, Liberum; & tot numina fabulosa; ut eruditè enarrat P. D. Clemens Abbas Tosius in suo tractatu Indix Orientalis tom. 1. discursu sexto; & Salelles d. lib. 1. cap. 14. reg. 113. ubi plures Theologos adducit, & præcipuè S. Thom. 2. 2. quæst. 94. art. 3. & 4.

5. *Quer.* An aliqui Idololatraz excusari possint à peccato mortali ob ignorantiam adorando plures Deos? *Resp.* Lactantium lib. 2. Instit. cap. 11. nulli exculationem dare; at Valentianum tom. 2. disp. 6. punct. 1. S. reliqua verò, tenere, quòd plurimi Idololatraz non peccent, quia in eis dari potest invincibilis ignorantia, circa cognitionem Unius Dei, stante tot Philosphorum varietate opinionum, & suorum parentum erronea instructione, ut refert idem Abb. Tosius d. disc. 6. pag. 217. & 218. & nos in Decis. 21. de Sacrificio Missæ; ubi plenè hanc quæstionem de Idololatris ignorantibus disputavimus.

6. *Quer.* Quot Deorum genera coluerint Gentiles Idololatraz? *Resp.* Quatuor; videlicet Hominum defunctorum, Idolorum, seu Statuarum, Elementorum, seu Syderum; ac rerum generi humano commodarum, seu noxiarum, quarum infinitus propè erat numerus. Salelles d. reg. 113. lib. 1. cap. 14. & nos d. Decis. 21.

7. *Quer.* Quomodo Gentiles credere poterint tot Statuas, & Idola esse Deos veros? *Resp.* Quia Dæmones itabant in eis loquentes, juxta illud: Omnes Dii Gentium Dæmonia. Psal. 95. 5.

8. *Quer.* Quando originem habuerit Idolatria? *Resp.* Plures plura dicere, ut refert d. Abbas Tosius discursu septimo pag. 221. & videre est apud Sallian. Anno Mundi 250. & Tornii. Anno Mundi 236. Siquidem alii volunt, eam originem habuisse ante Diluvium, alii vero post, dum in Babylone erecta fuit Statua Beli à Nino, qui fuit temporibus Abrahami. Delrius d. Disquisit. Magic. lib. 1. cap. 3. & nos de Sacrific. d. Decis. 21. n. 5. ubi studiosus Lector reperiet plurima quæsitæ circa Idolatriam.

CAPUT XXI.

De Magia.

1. *Quer.* Quid sit Magia? *Resp.* Esse potestatem inordinatam faciendi, quod supra Naturam est. Ita Mastrius d. disp. 11. num. 27. Vel quòd est ars, seu facultas, vi creata, & non supernaturali, quædam mira, & insolita efficiens, quorum ratio sensum, & communem hominum captum superat. Martin. Delrius Disquisit. Magic. lib. 1. cap. 2. ubi singula verba definitionis explicat. Salelles de S. Inquisit. lib. 1. Reg. 119.

2. *Quer.* Quotuplex sit Magia? *Resp.* Est triplex, Naturalis, Artificiosa, & Diabolica. Prima, & secunda bona est, & licita; quia innitur secretis naturalibus, herbarum, vel lapidum virtutibus. Tertia prohibita est, & mala; quia innitur pacto vel tacito, vel ex-

presso cum Dæmone. Mastrius d. num. 27. Delrius d. cap. 2. & Emin. Card. de Lau-
ræa in d. lib. 3. Sent. tom. 4. disp. 20. art. 17.

3. *Quer.* Quomodo subdividatur Magia Diabolica? *Resp.* Quòd subdividitur in quatuor species, videlicet in Magiam Specificam, quæ studet facere mira. In Divinationem, quæ satagit scire res occultas. In Maleficium, quòd artem nocendi quærit; & in vanam Observantiam, quæ spectat res nugaces, & inutiles ex levitate, vel voluptate animi. Delrius d. lib. 1. cap. 2.

4. *Quer.* Quid sit Magia naturalis? *Resp.* Quòd est exactior quædam arcanorum naturæ cognitio, qua cælorum, ac syderum cursu, & influxu, nec non rerum singularum sympathiis, ac antipathiis observatis, suo tempore, loco, ac modo res rebus applicantur, & mirifica quædam perficiuntur, quæ causarum ignaris præstigiola, vel miraculosa videntur. Delrius d. lib. 1. cap. 3. ubi plura exempla hujus naturalis Magiæ summam recitat, ibidem videnda.

5. *Quer.* Qui fuerint bene instructi in naturali Magia, de quibus Sacre Litteræ mentionem agunt? *Resp.* Benè fuisse de ea instructos Adam, Salomonem, & Tres Magos, qui ad adorandum Dominum accessere. Delrius d. cap. 3.

6. *Quer.* Quotuplex sit Magia naturalis? *Resp.* Est duplex, Operatrix, quæ effectus mirros facit, & Divinatrix, quæ pandit abscondita, & occulta. Delrius ibid. cap. 3.

7. *Quer.* Quenam sint exempla Naturalis Magiæ operatricis? *Resp.* Talia esse, Sphæram vitream Archimedis, Combustiones Navium per specula in obsidione Syracusarum, Archytæ Columbam ligneam volantem, aviculas aureas cantillantes Leonis Imperatoris, & alias volantes Boëtii, de quibus latius idem Martin. Delrius d. lib. 1. cap. 4.

8. *Quer.* Quomodo cognoscatur, an Magia operatrix sit licita? *Resp.* Si effectus rei non superet efficaciam causæ naturalis; idèò caput æneum, quòd dicunt ab Alberto Magno sic compositum, ut humanam vocem proferret, est reponendum inter Magiam præstigiaticam, & illicitam, quia naturæ vires superat, ut æneum caput loquatur. Delrius d. cap. 4.

9. *Quer.* An licita sint prodigia illa, quæ fiunt à circulatoribus, agyrtis, & funambulis? *Resp.* Plurima esse licita, quia fiunt ex agilitate manus, vel corporis. Porro non est toleranda, quando scandalum gerunt in populo fideli, monet idem Delrius d. cap. 4. subdens, quòd cautè agant Judices cum his circulatoribus, quia sæpè sub figmento dexteritatis ope dæmonis mirabilia faciunt, prout refert de nonnullis, qui à S. Inquisitione convicti & puniti fuerunt.

10. *Quer.* An sit aliqua virtus Naturalis in numeris Arithmeticis? *Resp.* Negativè, si ut numeri accipiantur. Gobat. in Opusculo de Superstitione num. 930. ubi irridendos ait Medicos, vel Pharmacopolas, qui afferrent, pillulas non profecturas, nisi in dispari numero sumantur. Sic non est curandum

30 Erotem. Eccles. Cap. XXII. De Alchimia.

dum de diebus criticis, vel annis clymactericis, quia numerus dierum, vel annorum nullam habet virtutem, vel potestatem in hominum vitam; licet verum sit, quod natura in numero septenario, vel alio strictiori, vel laxiori soleat movere, seu consumere humores peccaminosos juxta complexionem individui calidiorem, vel frigidiorum; & sic Medici solent predicere in tali, vel tali die bonum, vel malum exitum infirmitatis. Delrius d. lib. 1. cap. 4. q. 2. & nos ostendimus De Sacrif. Miss. Decis. 39. num. 29. ubi de diebus criticis.

11. *Quer.* An verbis, & Incantationibus insit vis aliqua morbos sanandi, aut miracula perficiendi? *Resp.* Negativè, & contrarium docentes, sunt vel cabbalistæ, vel seductores, ut latè demonstrat Delrius d. lib. 1. cap. 4. qu. 3. ubi tamen excipit Orationes, & Exorcismos Ecclesiæ, in quibus Dei Omnipotentis virtus operatur.

12. *Quer.* Quid sit *Magia Demoniacæ*? *Resp.* Esse artem, per quam mediis inutilibus, & non à Divina providentia, sed à dæmone institutis, uti primo, & præcipuo ejus auctore, aliqui effectus expectantur, & re ipsa fiunt. Salelles d. lib. 1. de Materiis Tribun. fide reg. 119. num. 169.

13. *Quer.* Quot modis Dæmon operetur magicis suis actibus? *Resp.* Modis quatuor. Primò, obiciendo sensibus corpora vera aliunde asportata. Secundò, repræsentando tantum phantasticas corporum similitudines. Tertiò, illudendo sensibus externis, ita ut homo credat videre, quod non videt. Quartò, illudendo sensibus internis, & alterando imaginativam. Salelles d. reg. 119. num. 170.

14. *Quer.* In quo Tribunali sint puniendi illi, qui hanc Magiam Dæmoniacam exercent? *Resp.* In Tribunali Sanctæ inquisitionis ex Bulla Sixti V. Incipit *Cæli, & Terræ, &c.* & tales Magi dicuntur committere peccatum Idololatriæ, quia honorem, & fidem Deo debitam præstant ipsi Dæmoni. Salelles d. cap. 14. reg. 119. num. 185. & Mastrius d. disp. 11. num. 27.

15. *Quer.* Quis fuerit Auctor Magiæ Dæmoniacæ? *Resp.* Auctores reputari Gigantes illos, qui extabant ante Diluvium, à quibus edoctus Cham filius Noë, ipse postea hanc pestiferam artem transmisit in posterum; & nunquam defecerunt Magistrelli pessimi eam docentes, quales fuerunt Magi illi Pharaonis facientes prodigia, sicut Moyses cum Virga faciebat; & Simon Magus, de quo Act. 8. & semper aliqui erunt usque in finem mundi, quando surgent Pseudochristi; & Pseudoprophete, & facient signa; & prodigia. Matth. 23. Ita Salelles d. reg. 119. num. 186. & 187.

16. *Quer.* An Magiam Dæmoniacam exercentes possint absolvi à quocunque Confessario? *Resp.* Si Magia sit cum errore intellectus, & sic cum hæresi, non potest absolvi; nam Magus iste est etiam hæreticus, & excommunicatus Bulla Cœnæ Domini. Si non sit cum errore intellectus, potest absolvi, quia non est excommunicatus, sed

excommunicandus. Cap. Si quis 26. qu. 5. Idem dic de consulentibus Magos. Mastrius d. disp. 11. num. 27.

CAPUT XXII.

De Alchimia.

1. *Quer.* An Alchimia spectet ad Magiam naturalem? *Resp.* Affirmativè. Delrius d. lib. 1. Disquis. Mag. cap. 5.

2. *Quer.* Quid sit Alchimia? *Resp.* Quod est ars fundens, seu liquans metalla ad aurum consiciendum; & dicitur Alchimia à Verbo Hebraico *Alchim*, quod fluxum significat. Delrius d. cap. 5. quest. 1. sect. 1.

3. *Quer.* An vere Alchimia possit metalla in aurum transformare? *Resp.* Tres esse Doctorum sententias. Prima est, non posse per Alchimiam verum aurum produci. Tollat in Exod. cap. 7. qu. 10. Secunda est, posse quidem gigni aurum quasi verum, quod tamen vendi non liceat, aut adhiberi pro vero. S. Thom. 2. 2. quest. 77. art. 2. ad 1. Tertia est, per Alchimiam posse fieri aurum perfectius, & purius, quam quod gignitur in visceribus terræ; & hanc tenent omnes Chymici, quos refert Delrius d. lib. 1. cap. 5. qu. 1. sect. 2. ubi quartam addit sententiam, dicens; dubium omnino esse, an per Alchimiam aurum fieri possit.

4. *Quer.* An Alchimia sit licita? *Resp.* Aut loquimur in foro fori? & in hoc de Jure civili non reperitur prohibita; sed de Jure Canonico prohibita reperitur in Extravagan. Jo. 22. Spondent. De Crimine falsi in comm. quamvis Delrius d. lib. 1. cap. 5. quest. 4. dicat, canonem illum non esse in observantia. Aut loquimur in foro conscientie, & in hoc dicendum est, licitam esse servatis quatuor conditionibus, videlicet: *Finis, Modi, Temporis, & Persona.* *Conditio Finis* est, ut Alchimia exerceatur non ex lucro, aut avaritia, vel ut in medicamentis utatur, quia aurum illud non habet veras proprietates auri; sed ex animi recreatione, vel ut illud adhibeat in sua suppellectili, vel in annulis aut catenis. *Conditio Modi* est, ut absit omnino pactum, seu auxilium diaboli expressum, vel tacitum. *Temporis*, ut non nimium tempus in hanc artem exercendam infumatur, sed tantum, quantum honesto otio licet dare. *Persona* conditio est, ut hæc non sit egena, & pauper; sed ditissima, & locuples, quales sunt Principes; ut disertè scribit Delrius d. quest. 4. ubi notat, Angliæ extare legem ventantem sub pœna capitis, ne quis exerceat Alchimiam absque licentia Regis, quam legem expediret ubique promulgari. Supradictas conditiones videtur approbare etiam Theaur. de Pœn. Eccles. par. 2. Verb. falsum cap. 2. Vide Chassanæum in Catalog. glor. Mundi par. 11. Confid. 40. ubi de Alchimia, & Alchimistis tractat.